

Statuten oder Satzungen des St. Lazarus Ritterordens von Jerusalem, für die Häuser Gvenn und Seedorf

Autor(en): [s.n.]

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Der Geschichtsfreund : Mitteilungen des Historischen Vereins
Zentralschweiz**

Band (Jahr): **14 (1858)**

PDF erstellt am: **16.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-111166>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

VIII.

Statuten oder Satzungen des St. Lazarus Ritterordens von Jerusalem, für die Häuser Gevenn und Seedorf.

(Dargeboten vom leitenden-Ausschusse.)

1418, 7 Mai.

(Archiv Seedorf¹⁾.)

In nomine sancte et individue trinitatis Amen.

Nos subscripti Frater Johannes Swarber Presbyter, Preceptor, sive Commendator domorum in Gevenn et in Sedorf ordinis militie Sancti Lazari Hospitalis Jerosolomitani Constantiensis Diocesis, Necnon Sorores Agnes de Eitlingen in Gevenn, atque Catherina Buklin in Sedorf domuum predictarum Magistre, alieque conventuales professe omnes et singule conventus earumdem domuum facientes et representantes christifidelibus universis, et precipue ordinis et domuum nostrarum hujusmodi personis in humilitatis spiritu Domino famulantibus, quos presens tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet nunc, aut in futurum, sincere dilectionis affectum in Christo Jesu Domino nostro cum omnis boni continuo incremento ac plena notitia Subscriptorum.

Cum domus nostre jam dicte, et etiam Persone degentes in eisdem, nedum propter pestiferum schisma, quod per totius christiane religionis devotionem diuturnis temporibus viguit, tam nequiter perdurando, imo etiam alios varios et sinistros eventus, quibus

¹⁾ Acht pergamene Blätter in Quartformat. — Die ältesten Satzungen hat der Geschichtsfreund bereits veröffentlicht. (IV, 119—158.)

preces nostre multipharie fiant mundate, Commendatore caruerant sive gubernatore per tempora non pauca, et a tanto tempore, et per tantum tempus, quod nos predictae et alie quedam nos precedentes fratres et sorores habitum religionis deferre, seu etiam ordinis nostri regularia instituta servare neglexerimus, non tamen in contemptum ejusdem ordinis nostri, sed tamquam simplices et ignare hoc ignoranter pretermissimus, de quo etiam et non immerito dolemus. Instigante autem Domino, ut pie credimus, noviter considerata pro nos facti hujusmodi ponderositate, conscientia moti, ex inductione juris peritorum, quorum consiliis in ea parte vsi fuimus, a magnifico atque potenti viro Domino Petro des Ruaux Milite, Magistro generali totius ordinis nostri Supremo, per legitimos et certos Nuntios, ac litteris nostris sub Sumptibus et laboribus ac expensis satis etiam notabilibus, ab inobedientie labe, et sententiis, quas premissorum occasione contraximus, ubi nos graviter deliquisse cognovimus. ex Dei dono gratiose, absolute, et communioni sancte Matris Ecclesie et ordinis nostri religionis restitute. Insuper quoque dum ex indulto speciali per Dominum et Magistrum nostrum superiorem predictum gratiose nobis communicato reportaverimus tempore prenotato, quod ordinationes et statuta pro observantia dicti ordinis nostri in eisdem domibus nostris tenendas facere et statuere valeamus. Sicut etiam de necessitate habemus et possimus juxta seriem et tenorem litterarum nobis ob hoc gratiose concessarum. Nos negligentis et defectibus hujusmodi, quantum parvitas ingenii nostri sinit, obviare volentes, articulos quosdam subscriptos, contra pericula hujusmodi, ut speramus, laborantes in animis nostris concepimus fore ad observandum statuendos; ac etiam vigore et auctoritate jam dictarum litterarum statuimus, ordinamus, et volumus per nos et successores nostros temporibus affuturis in dictis domibus nostris virtutum Domino famulantes sub debito juramento fore observandos.

Et primo statuendo ordinamus, quod deinceps futuris temporibus religiosi fratres et sorores domorum nostrarum in Gevenn, et in Sedorf predictarum habere debeant et teneantur Commendatorem canonicè electum et institutum juxta modum subnotatum, qui eisdem et personis in eis degentibus tam in spiritualibus quam in temporalibus utiliter et salubriter valeat et possit preesse pariter et prodesse.

Item quando et quotiens Commendator earundem domorum nostrarum ab hac luce migraverit, ejusque corpus ecclesiastice fuerit traditum sepulture, mox Conventus domus in Gevenn ad electionem futuri Commendatoris infra octo dierum spatium per legitimos et certos nuntios vocare debeat et teneatur Magistram, fratres et sorores domus in Sedorf, que quidem Magistra sic vocata cum una seu duabus ejusdem domus professis personis eidem adjunctis pleno eligendo mandato habito per eas infra unius quindene spatium ex tunc statim subsequens antefatam domum in Gevenn se presentare debeant, et teneantur, et nisi legitimo impedimento prepedite fuerint, post dictam quindenam eas non oporteat prestolari.

Item cum persone domorum nostrarum earundem taliter conveniunt, debent atque tenentur ipse infra tempus semestre ad hoc de jure statutum de conventibus earundem domorum suarum alium fratrem ordinis sui eligere pro Commendatore loco ejusdem defuncti, nisi talis ibidem ad hoc utilis non valeat reperiri, in quo casu taliter emergente aliam personam religiosam vel secularem ipsis ad hoc placitam et utilem juxta conscientiam suam loco ejusdem defuncti in suum Commendatorem et Pastorem pro tunc eligere possunt et debent; Personis tamen nondum ordinem eorum professis et aliis ad electionem inutilibus, cum excommunicatis et interdictis penitus in ea parte exclusis; et hoc toties, quoties casus sic se habuerit, et semper sub sumptibus et expensibus communibus earundem domorum nostrarum.

Quotiescunque autem aliquis in Commendatorem domorum nostrarum eligitur, conventus earundem domorum nostrarum eligere debent et tenentur unum Prelatum approbati ordinis ad hoc eis placitum et quem commode ad hoc valeant habere, et apud eundem efficere, quod ipse eidem in suum Commendatorem electo, ordinis eorum habitum, si illum nondum recepit, tribuant et imponent et professionem ejusdem ordinis nostri ab eodem et etiam a quovis alio, licet antea ordinis nostri exstiterit, et fidelitatis juramentum recipiant juxta ejusdem ordinis nostri regularia instituta vice et nomine Magistri ejusdem ordinis nostri supremi, et auctoritate ejusdem in quemlibet talem intuitu domorum nostrarum hujusmodi plenarie transfusa.

Item a personis futurum Commendatorem eligentibus is, qui ab omnibus, aut majoris numero eligitur, pro Commendatore teneatur,

aliqua contradictione non obstante, sicque ab omnibus utriusque domus personis eidem tanquam eorum Prelato in spiritualibus et temporalibus obedientia et reverentia debite et condigne exhibeantur, dummodo sit Presbyter bone fame, laudabilis vite, et honeste conversationis, qui possit verbo predicationis, et vite exemplo utiliter ipsis preesse; vel si nondum sit Presbyter, alias tamen scientia et moribus deditus et tante etatis, quod in primis a jure statutis temporibus electionem hujusmodi sequentibus velit et possit promoveri.

Item statuimus etiam, quod ante lapsum temporis semestre, videlicet sex mensium, pro eligendo Commendatore statuemus, quod quilibet Presbyter regularis vel secularis sui officii executionem habens ipsis personis ordinis et domuum nostrarum predictarum utrimque ecclesiastica sacramenta ministrare, divina officia celebrare, confessiones audire, ac pœnitentias salutes inungere, ac eas absolvere possit et debeat, tum quando quotiens ab ipsis conjunctim vel separatim invitatus fuerit et requisitus. Verum si, quod absit, persone conventuum nostrorum predictorum infra tempus ipsis prefinitum Commendatorem sibi eligere neglexerint, quatenus ex tunc electio futuri Commendatoris ea vice dumtaxat ad honorabiles et circumspectos viros dominorum Prepositum et Capitulum Ecclesie sanctorum Felicis et Regule Prepositure Thuricensis antefate Constantiensis Diocesis devolvatur pleno jure, qui ex tunc ante duorum mensium spatium subsequentium cursum Commendatorem utilem ac talem, ut prefertur, eligere possint et debeant, et meliorem, quem bona fide ad hoc commode obtinere valeant, contradictione aliqua non obstante; cui etiam persone ordinis et domuum nostrarum hujusmodi in omnibus et per omnia obedientiam et reverentiam exhibeant, ac si per ipsas ad hujusmodi Commendatorice officium concorditer electus foret atque assumptus; et quod a tempore, quo electio hujusmodi ad eosdem dominos Prepositum et Capitulum Ecclesie Thuricensis devolvitur, et per ipsas personas Conventuum nostrorum hujusmodi steterit, quominus eligatur; ex tunc eo ipso omnes Fratres et sorores utriusque sexus professi earundem domorum nostrarum tanquam inobedientes et rebelles Superiori ipsorum excommunicationis sententiis innodati existant et ab omnibus Sacramentis ecclesiasticis penitus exclusis, donec et tamdiu, quousque alium Commendatorem habilem et idoneum ad hoc,

ut prefertur, duxerint eligendum; nisi in mortis articulo aliquem seu aliquos ex eis laborare contingeret, medio tempore tales et nulle alie Sacramentis ecclesiasticis sunt muniende per quemlibet Presbyterum ad hoc vocatum et electum; aut si notorie prepeditum alium ad hoc idoneum nullatenus habere possent pro Commendatore, ad quem tamen obtinendum et eis preficiendum operam dare debeant ipsis possibilem sine dolo et fraude, quod ex tunc aliqua inobedientie labe notari non debeant, seu etiam ecclesiastice censure, pœnis et sentiis innodatos fore aliquatenus censeri, sed ecclesiasticis sacramentis per Presbyteros ad hoc eligendos, ut prefertur, tanquam vere obedientes filii medio tempore existant muniendi; futurus tum Commendator canonice electus et institutus ab hujusmodi excommunicationis sententia, et ab aliis pœnis universos fratres et sorores earumdem domorum nostrarum, si propter defectus et negligentias suas hujusmodi aliquas inobedientie seu irregularitatis maculas contraxerunt, sancte Matris Ecclesie unioni restituere habet et absolvere poterit, cum id ab ipsis humiliter fuerit petitum.

Volumus etiam, statuimus et ordinamus, quod quilibet in Commendatorem dictarum domorum nostrarum ex nunc in antea perfectus post electionem de eo factam, et statim postquam habitum religionis nostre sibi assumpserit, tactis per eum sacrosanctis Scripturis medio juramento corporali super hoc prestando firmus se astringat ad observantiam articulorum subscriptorum fraude tamen et dolo semotis.

Inprimis namque, quod profectum, commodum, utilitatem, et honorem nostri ordinis et domuum in Gevenn et in Sedorf predictarum promovendo dirigat, damna submoveat pro posse et nosse: et nihilominus etiam, quod personas ordinis domuum nostrarum pro tempore existentes fidelitate, et sub regimine debitis pertractando reget, ac eisdem in spiritualibus et temporalibus provideat secundum ordinis nostri predicti regularia instituta; et etiam quod singulis annis utrique Conventui earundem domorum nostrarum rationem seu computum faciet sufficientem de per eum nomine ipsarum receptis, collectis, expositis et elargitis. Insuper quoque quod ipse Commendator res et bona, redditus et proventus, seu aliqua jura ipsarum domuum nostrarum vendere, distrahere, seu alienare aliquatenus velit, seu etiam presumat preter et contra scitum et vo-

luntatem Conventuum earundem. Item quod ipse Commendator, ut sit assumptus et electus, residentiam personalem habeat et continuam faciat in domo in Gevenn suprascripta, nisi hoc quoque pro utilitate communi ordinis nostri, et non aliter per unum annum aut duos duxerit faciendum.

Item tenetur etiam, et debet ipse videlicet Commendator pro tempore existens residentiam facere continuam et personalem in domo sua in Gevenn prope Ecclesiam ibidem versus meridiem sita, et eandem per universam inhabitare cum omnibus domus utensilibus sibi pro statu suo necessariis et congruentibus cujusque reputationis sive nominis hec existunt, possidere una sola duntaxat camera preexcepta in domo eadem, que pro conservandum hospitibus masculini sexus illuc confluentibus deputata est et esse debet reservata. Nullus autem Commendatorum ibidem in eadem domo familiam sive inquilinum detinere debet sibi, seu Ecclesie sue, aut aliis personis ipsius domus Conventus in Gevenn detrahentibus notorie in rebus, bonis seu honore, seu prejudicantibus eisdem aliquatenus in eisdem in aliquo eorumdem. Item debet etiam et potest quilibet Commendatorum domorum nostrarum sepe dictarum pro tempore suo de anno in annum ex nunc in antea auctoritate sua propria percipere et uti de fructibus, provenientibus, juribus et obventionibus ipsius domus in Gevenn omnibus et singulis mobilibus et immobilibus, tantum quantum sibi pro necessitate seu sustentatione vite sue sufficit, et status honoris sui decenter requirit juxta ordinis nostri statuta; ita tamen quod dicta earum domus in Gevenn hoc congrue supportare valeat de suis facultatibus, ipseque Commendator de hoc altissimo vendere velit, cessante quolibet impedimento; nisi talis Commendator tam improvide et sumptuose se exhiberet, quod ex hoc dilapidatio rerum et bonorum ipsius domus in Gevenn induci possit, quod tamen absit. Statim illo comperto per Magistram et conventum seu majorem partem inter eosdem, tales sint fratres seu sorores, nec hoc libenter sufferre volentes, sicut etiam nec debent de jure, seu conscientia sana, Magistra et Conventus predicti capitulariter congregati eundem Commendatorem ad se vocare debent et tenentur, et eidem defectus et negligentie sue causas allegare, et per consequens ipsum sollicitare, requirere, et admonere, quod ipse infra octo dies primos, ex tunc a tempore requisitionis sue hujusmodi statim sequentes duos prudentes

viros, et ad hoc legales, unum de venerabilium virorum dominorum Prepositi et Capituli Ecclesie sanctorum Felicis et Regule Prepositure Thuricensis Collegio; alium vero de circumsectorum virorum Magistri civium et Universitatis oppidi Thuricensis Constantiensis diocesis antefate concilio, ad hoc sibi placidos, et quos ad hoc commode habere possit, pro sua parte eligat; sic etiam hujus simile ipsa Magistra et Conventus ejusdem domus in Gevenn nomine facere habeant, debeant, velint, et teneantur, et his quatuor taliter assumendis, hinc inde assumtis et electis, allegationibus et questionibus, propositionibus ac supplicationibus, per easdem partes hinc inde premissorum occasione factis, definitione sua juridica et secundum quod conscientia ipsorum dictabitur, questiones hujusmodi decidere possunt, debent et tenentur auctoritate arbitrii hujusmodi assumpti in eos, secundum quod ipsis sanctius et melius faciendum fore appareat, et quodquid in his et circa ea per eosdem quatuor arbitros, seu majorem aut saniolem partem inter eosdem definitum fuerit, decretum ac pronunciatum, ipse partes et utraque earum totum et in qualibet ejus parte ratum et gratum tenere et observare debeant, et teneantur atque adimplere, nec contra talia aliquatenus venire per se, vel per alium, seu alios tacite vel expresse, directe vel indirecte quovis quesito ingenio vel colore.

Noverint etiam universi et singuli et precipue successores nostri, quod Conventus domus ordinis nostri in Sedorf predicti suo et ejusdem sue domus nomine, atque pro eisdem exsolvit et expedit numerata et parata pecunia fratri Joanni Swarber Commendatori, et Conventui domus in Gevenn predictos centum et triginta florenos in annuos redditus conversos, juxta tenorem litterarum super hoc confectarum per Dominum Commendatorem et Conventum ejusdem domus in Gevenn recolligendos, et imbursandos in subsidium et supportationem uberiolem onerum et expensarum cujuslibet Commendatoris pro tempore existentis. Viceversa autem quilibet Commendator tempore, quo in officio suo hujusmodi constitutus existit, singulis annis Conventum domus in Sedorf predictae visitare debet, et tenetur per se, vel alium, quem super conscientia sua ad hoc duxerit eligendum; ita tamen, quod ipse semper quarto anno revoluta ad omne minus propria in persona semper accedat visitando inibi, et capitulum generale celebrando, excessus personarum super delictis suis corrigendo et emendando, ac in spiritualibus et tem-

poralibus reformanda reformando juxta ordinis nostri regularia instituta et necessitatem domus predictae. Tempore autem quo Commendator hujusmodi vel in suo loco deputato ad hoc, ut prefertur, in dicta domo pro executione visitationis hujusmodi moram fecerit; eadem domus ipsum cum comitatu suo expensare debet, et tenetur ex toto honorifice juxta facultates suas; expensas autem intermedio videlicet illucendo, et ab inde revertendo ipse Commendator de suis solvere, et expendere tenetur penitus et in toto sine damno et expensis ejusdem domus, preter quam in quarto anno predicto et quo ipse Commendator propria in persona ibidem visitare tenetur, ut prementionatur; eadem domus de facultatibus suis pro expensis hujusmodi intermedio factis, eo melius per Commendatorem supportandis, et in subsidium ejusdem ipsi Commendatori quatuor florenos communes bonos et legales solvere, et ad expensas hujusmodi contribuere debet et tenetur, cessante quolibet impedimento. Ipso autem capitulo generali, ut sit expletum, Magistra et Conventus ejusdem domus Sedorf, de consensu et beneplacito ipsius Commendatoris confessorem unum idoneum religiosum vel secularem sui officii executionem habentem sibi eligere habent et tenentur, qui ex commissione et indulto sub sigillo et expensis ejusdem domus litteratorie sibi traditis per quatuor annos integros, vel ad primum generale capitulum per Commendatorem personaliter celebraturum subsequentem ipsis confessiones audire, ecclesiastica Sacramenta ministrare, ac alia ipsis ad salutem animarum suarum facere necessaria valeat, ac utilia fuerint. Propter quod ipse Commendator merito consulendus existat, cujus quidem emendandi auctoritas ipsi Commendatori debet semper fore reservata. Alio autem casu quocumque emergente, propter quem Commendator suo tempore existens pluries quam semel in quatuor annis personaliter tam visitationis faciende eandem domum in Sedorf repetere haberet, ac etiam aggrediatur, toties quoties hoc necessitas exigit, ipsa domus in Sedorf sepe dicta sub expensis suis propriis, ab hospicio suo in Gevenn antefato ad domum Sedorf eundo, ibique stando, et usque in dictum suum hospitium redeundo, eundem Commendatorem expensare habet et tenetur; nisi talis transitus non fieret de communi necessitate ipsius domus in Sedorf, sed ob unius persona singularis, seu aliquarum personarum singularium ejusdem domus; quo casu sic se habente persona singularis, seu persone singulares

hujusmodi dictionem, cujus seu quarum talis vocatus sit, subire debent, habent, et tenentur omnis et solutorum expensarum medio tempore per eundem Dominum Commendatorem ob hoc faciendarum, ut prefertur, ac easdem realiter, et cum effectu persolvere et expedire sine damno et prejudicio ipsius domus in Sedorf communi seu etiam Commendatoris antefati; et ut sic quivis Commendatorum earundem domuum nostrarum hujusmodi, in centum et triginta florenis de dicta domo in Sedorf in relevamen et subsidium expensarum, ut premititur, persolutis et expeditis, stare debet contentus ex nunc in antea, et omnino per eosdem fore expeditos nec quidquid plus ab eadem domo in Sedorf seu ipsius conventu exigere et petere quovismodo, nisi modo, quo prefertur.

Item ordinamus et statuimus etiam, quod tamen absit, discordie et controversie quotiescunque oriantur inter Commendatorem et conventus domorum nostrarum ambarum seu alterius earundem etiam casu superquocunque, quatenus ex tunc ipse partes discordiarum hujusmodi, ex quo supremum ordinis nostri Magistrum, seu alios ejusdem nostri ordinis propter distantiam locorum ad invicem ad sedandum discordias tales requirere non valemus, in omnem modum et eventum quod prius duos dominos de capitulo Ecclesie Prepositure, et duos de Concilio opidi Thuricensis predictorum ad hoc bonos et sibi placidos et legales pro arbitris et definitoribus discordiarum hujusmodi eligere et assumere debeant et teneantur infra octo dies proximos, postquam una partium earundem per alterum super hoc fuerit requisita, et eisdem plenariam potestatem et auctoritatem omnimodum tribuere ad cognoscendum, et definiendum justitia mediante, seu alias in animas suas secundum quod ipsis ex tunc juxta qualitatem facti hujusmodi consultius faciendum fore videatur pronuntiandum super questionibus hujusmodi, et secundum allegata et probata coram eisdem, et etiam quod ipse partes hinc inde decissionibus, definitionibus, decretis, et pronuntiationibus eorundem stare et obedire debeant et teneantur in toto et in qualibet eorum parte. In casu autem, quo talibus discrepationibus subortis dictum Magistrum nostrum supremum seu alium causa visitandi causa ordinem nostrum per eundem missum supervenire eontingeret, quod etiam talis dictis quatuor definitoribus adjungatur ad interponendum se pro tranquillitate pacis, et cum eisdem super discordiis hujusmodi ad cognoscendum, secundum quod

tunc facto opus est, et inter se communiter omnes seu major et sanior pars duxerint concordandum. Et hiis etiam juribus quivis Commendator earundem domuum nostrarum stare tenetur, et esse debet contentus; nec auctoritatem, gratiam, seu privilegia aliquibus, quod in prejudicium earundem domuum nostrarum, seu ipsarum personarum conjunctim, vel separatim, aut ordinis nostri predictorum facere possint, seu venire a sede apostolica, aut magistro generali, seu aliunde per se, vel per alium, seu alios impetrare, seu talia quovis modo impetrantibus consentire, et hoc nedum sub debito super his, et aliis domuum nostrarum hujusmodi statutis editis edendis tempore assumptis, per eum regiminis coram Notario publico, et testibus fide dignis ad hoc vocatis cum renuntiationibus juris et facti ad hec sufficientibus per ipsum super hoc prestandi, seu prestiti juramenti corporalis, imo etiam cautionis litteratorie sufficientis, et necessarie ipsis domibus nostris hujusmodi, ac etiam earum personis super hoc dande, et exhibende, et nihilominus etiam sub pœna privationis dicte sue Commendatorie, ad quam transgressor hujusmodi, in toto, seu ejus parte ex tunc in antea inhabilis censeretur debet, haberi atque teneri non obstantibus litteris, gratiis, et privilegiis a sede apostolica, aut Magistro generali, vel aliunde impetratis, seu impetrandis, ut prefertur.

Volumus quoque, atque modo premissis statuendo ordinamus, quod juramento hujusmodi per Commendatorem statim post electionem suam ad hujusmodi regiminis officium de eo factam prestito infra tempus debitum, ut prefertur, litteris et sigillis nostrorum Conventuum, seu domorum auctoritate nobis in ea parte per supra-fatum dominum nostrum supremum concessa idem Commendator per nos recognoscatur atque teneatur prout et est confirmatus, usque ad tempus, quo dominus et Magister ordinis nostri supremus pro tempore existens per se vel alium ejusdem ordinis nostri ad hoc per eundem Dominum et Magistrum nostrum deputatus nos et domos nostras sepe dictas duxerit visitandas, cui ex tunc idem Commendator noster ad confirmandum de novo presentandus erit, et per consequens confirmandus; per eandem confirmationem autem statim post electionem factam per nos, ut premittitur, mox et incontinenti Conventuales dictarum domorum nostrarum omnes et singule atque persone ordinis nostri in eisdem degentes obedientiam et reverentiam debitas, et ab ordine nostro facere consuetas tali Commen-

datori nostro prestare debent et tenentur vice et nomine domini, et Magistri nostri supremi antefati, et eum hoc de utraque domo Conventuum nostrorum hujusmodi de duobus clavibus ad scrinium pro custodia sigilli atque litterarum, ac aliorum ornamentorum et munimentorum conservationem deputatum spectantibus, unum clavem tradere et assignare, ac demonstratis eidem Commendatori ibidem reconditis et reservatis utriusque domus predictarum; aliam clavem ex eisdem pro facienda debita custodia inibi reconditorum sibi ipsi et conventui suo retinere, et nihilominus etiam fructus, redditus, jura, res et bona atque debita earundem domuum nostrarum Commendatori hujusmodi exprimere ac ipsum de eisdem ad plenum informare non obstante aliqua contradictione.

Item statuimus etiam, et ordinamus, quod ex nunc in antea in utroque conventu domorum nostrarum sepe dictarum in quarto anno Magistra domus pro tunc existens officium suum hujusmodi resignare debet, et tenetur; et eadem seu alia instituatur juxta modum subnotatum, qui talis est, videlicet: quod convocatis ab hoc Commendatore et conventu pro tunc existentibus actu Magistra eisdem rationem et computum facere habeat et debeat de perceptis et expositis per eam ejusdem sui officii occasione, ac etiam satisfacere ad plenum, et ex tunc idem suum officium cum clavibus ad hoc spectantibus, et pridem sibi signatis, in manus et potestatem Commendatoris eorum pro tunc existentis, suo et dicti sui Conventus nominibus easdem recipientis, resignare, tradere et presentare; et resignatione hujusmodi taliter peracta (nisi talis resignatio propter bene merita sua de eorundem Commendatoris et Conventus beneplacito ad idem suum officium veniret restituendi); ipsum officium hujusmodi cum clavibus, et aliis ad hoc requisitis uni alteri per eosdem Commendatorem et conventum seu saniolem partem ex eis pro ipsius domus Magistra electa committi debet ad gubernandum et regendum ad quatuor annos integros et continuos statim abinde immediate sese sequentes, et non aliter, nec ultra; et quod hoc etiam taliter faciendum et servandum sit de officio cellerariatus et aliis in iisdem domibus nostris expediendis et committendis.

Item de observantia ordinis nostri, et expeditione horarum canonicarum in dictis nostris domibus perficiendarum sub obligatione predicta statuendum duximus et ordinandum sic profecto, quod persone in habitu ordinis religionis nostre in dictis nostris domi-

bus Deo famulantes in habitu suo incedere, ac suo pro posse, et quantum hoc fragilitas eorum sinit humana, Deo servire debeant et teneantur, prout astrictè sint juxta ordinis nostri hujusmodi regularia instituta; et horis canonicis omnibus et singulis in eisdem nostris domibus, seu Ecclesiis nostris cantando, et legendo perficiendis, nisi legitime prepedite, a principio usque ad finem interesse, et quibus tum horis canonicis prime et secunde vespere, none, et sacra Missarum solemnità diebus dominicis, Beatorum Apostolorum ac aliorum Sanctorum quorumcunque festivitibus cantando ad minus peragende sunt, et celebrande, nisi domus nostre hujusmodi in libris et aliis ad divinum cultum spectantibus tale susciperent incrementum, quod Commendatori et Conventui domus illius, cui talis fortuna arrideret, placeret, et statuendum ducerent, quod ex tunc singulis diebus divina Missarum solemnità et hore canonicæ in eadem Ecclesia nostra decantari, et cantando peragi debeant, et similiter de jure teneantur; super hoc etiam onerantes conscientias omnium successorum nostrorum.

Item modo etiam predicto statuimus et ordinamus in dictis nostris domibus, et per ipsarum personas deinceps perpetuo fore observandum, quod quelibet persona ordini nostro in dictis nostris domibus suscipienda conventui, cui mancipari vult, pro servitio solvere debeat et teneatur tempore suscepti per eam ordinis nostri hujusmodi hec subscripta: Primo domui, cui mancipatur, omnia sua jura, prout ex antiquo consuetum fuit, et est ibidem; deinde Commendatori pro tunc existenti unius floreni communis, et Magistre decem sollidorum Hallensium tunc lapsibilium, et deinde successive cuilibet persone ejusdem Conventus quinque solidorum Hallensium existimationem existentiā clenodia solvere debeat et teneatur, diminutionibus ac oppositionibus cessantibus etiam quibuscunque. Sorores autem ad ordinem et domos nostras sepe dictas taliter recepte, velo nigro et benedicto non munientur, antequam legendo et cantando horas suas canonicas debite et sufficienter existant imbute, et quelibet earum informata existat juxta moderationem, et observantias regulares ordinis nostri sepefati; Persone tamen ad eundem ordinem nostrum anhelantes, si alias idonee et placide fuerint, in eisdem domibus nostris recipi possint et debeant, quamvis legendo et cantando non possint, seu velint informari, ita tamen quod tales habitu velaminis, ac bona et notabili veste non deco-

rentur, sed pro conversis ipsius ordinis nostri reputentur et habeantur, nisi per Commendatorem et Conventum domus sue pro tunc existentes propter parentelam notabilem, aut alia bene merita ipsis in ea parte suffragantia per velaminis impositionem et traditionem, seu alias mitius de eisdem fuerit ordinatum.

Postremo vero statuimus, ac etiam volumus et ordinamus per nos et successores nostros universos in dictis domibus nostris ex nunc et in antea perpetuis temporibus fore observandum prout et quemadmodum etiam per predecessores nostros ab antiquo statutum et observatum existit, quod ex nunc in antea singulis annis pro una tamen sola vice duntaxat quolibet anno, quibus dicti ordinis nostri Dominus et Magister supremus pro tempore existens dictas nostras domus per se, vel per alium ad hoc mandatum ab eo habentem, pro earundem et ordinis nostri hujusmodi reformatione et preservatione duxerit visitandas, sub expensis earundem domuum nostrarum pro tempore, quo in eisdem ob hoc moram fecerit, preservetur, et cum hoc media Marcha argenti ponderis Thuricensis pro tallia, que responsa dicitur, ab atroque conventuum domorum earundem in signum debite subjectionis ejusdem visitationis occasione in parato tradatur et exolvatur, et eo taliter rite et legitime per nos et successores nostros tempore visitationis hujusmodi expedito solum tamen semel in anno, ut prefertur, domus nostre hujusmodi, et persone earundem dicto domino et Magistro ordinis nostri supremo, seu ipsius Nuntio et legato super aliqua solutione ulteriore fienda modo etiam quocunque nullatenus teneantur, seu adstricte existant, sed potius ab omni alio exactionis genere exonerate sint, sicut etiam ab antiquo et usque in presens hoc inconcussum observatum existit. Quocunque autem annorum visitationes de quibus prefertur, per eundem dominum et Magistrum ordinis nostri suprafatum seu ipsius legatum certum obmittendo negliguntur responsa, scilicet Marcha argenti hujusmodi, de utraque domo nostra sibi danda non existat, sed nihilominus visitationes tales per Commendatorem domuum nostrarum sepe dictarum adimplende sint et perficiende, et similiter statuta nostra presentia in capitulis generalibus hujusmodi celebrandis legenda, publicanda, recitanda et reiteranda ob hoc, ut ipsa personis ordini nostro in dictis nostris domibus noviter mancipatis, seu alias Juvenibus melius innotescere valeant et ipsorum cordibus inscribi; et talis lectio et expositio

statutorum nostrorum hujusmodi etiam taliter semper facienda est publice, et expresse personis ad domus et ordinem nostros sepe-fatos convolantibus tempore earum receptionum; et statim ipsis taliter perlectis et vulgarizatis persone ut sic recipiende ordinem nostrum hujusmodi profiteantur, ac ad observantiam hujusmodi Statutorum nostrorum, ac aliarum consuetudinum laudabilium ipsius ordinis secundum regularia ejus instituta se adstringant sub debito sacramenti, ac ea et eas pro posse et nosse taliter servant et adimpleant sine dolo et fraude; et ut nos una cum eisdem, ut sit in laudem Dei, continuum recipiamus incrementum. Id nobis prestare dignetur, qui sine fine vivit et regnat, Amen.

Cum autem ordinationes nostre, atque statuta predicta tam concorditer, nullo etiam ex nobis discrepante, auctoritate et permissione Magistri ordinis nostri supremi antefati facte et edite atque fide data per nos et quemlibet ex personis conventuum domorum nostrarum sepe dictarum existentium tempore date presentium approbate, ac pro nobis ac successoribus nostris universis auctoritate, confirmate, et emologate existant; nedum presenti, de quo octo existunt folia, imo etiam aliis duobus consimilibus voluminibus eas et ea litterarum testimonio commendari fecimus, et nostrorum utpote Commendatoris et Conventuum sepe dictarum domuum sigillorum appensione pro nobis et eisdem successoribus nostris, quos, ut premittitur, ad hoc eadem astringimus, roborari decrevimus; et nihilominus unum ex eisdem in antefata Ecclesia Thuricensi, reliqua vero duo in dictis nostris domibus, videlicet in utraque earundem unum reponi in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum. Acta sunt autem hec in domo nostra in Gevenn sepe dicta, nono Calendas May, anno Domini Millesimo quadringentesimo decimo octavo, Pontificatu sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri domini Martini digna Dei providentia Pape quinti, anno primo, tempore Sacrosancti Concilii generalis celebrati in Civitate Constantiensi Provincie Moguntine, undecima Indictione ¹⁾).

¹⁾ Die letzte Willensverordnung Bruders Schwarber vom 13. Mai 1443 kennen die Leser dieser Zeitschrift aus dem XII. Bande, Seite 44. Am 10. März desselben Jahres stiftet er auch im Lazariterhause Gevenn vff alle Fronfasten am Montag eine Vigil und am Dienstag 5 hl. Messen als Jahrszeit, vorab für die Stifter und Gutthäter des Hauses, und dann namentlich für sich selbst, seine Aelteren Burkart und Agnes, und für Cunrat

Alle drei Siegel hängen wohlerhalten an grün seidenen Schnüren. Diejenigen des Comthurs Schwarber und des Hauses in Uri sind abgebildet im Geschichtsfreunde, Bd. XII, Tab. II. No. 4 und 3; und jenes des Hauses Gfenn in den Mittheilungen der Zürcher. Gesellschaft der Alterthümer, Bd. IX, Taf. II, No. 7.

Schwarber Priester, Schwester Anna, Cäcilia und Anna Schwarber, Conventfrauen im Gvenn, Heinrich und Heinrich Schwarber, Verena und Richenza Schwarber, Johans Schwarber und dessen Hausfrau Margaretha. Dieses Jahrzeit ist zu halten von den Priestern oder Pfarrherren in Bülach, Uster, Billanden und Wangen. (Jahrzeitbuch der Kirche zu Uster, gefälligst mitgetheilt von Herrn Decan Wertmüller.)

